

quo iudicio Lacedaemonia mulier, Furiarum una,
adveniet.'

eodem enim modo multa a vaticinantibus saepe praedicta sunt, neque solum verbis sed etiam

5 'versibus quos olim Fauni vatesque canebant.'

similiter Marcius et Publicius vates cecinisse dicuntur; quo de genere Apollinis operta prolata sunt. credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum quibus inflatae mentes oracla funderent.

10 Atque haec quidem vatium ratio est, nec dissimilis sane somniorum. nam quae vigilantibus accidunt vaticibus, eadem nobis dormientibus. viget enim animus in somnis liber ab sensibus omnique inpeditione curarum iacente et mortuo paene corpore. qui quia
15 vixit ab omni aeternitate versatusque est cum innumerabilibus animis, omnia quae in natura rerum sunt videt, si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est adfectus ut sopito corpore ipse vigilet. haec somniantis est divinatio. Hic magna quaedam exortur
20 tur neque ea naturalis sed artificiosa somniorum [Antiphontis] interpretatio eodemque modo et oraculorum et vaticinationum, sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum. nam ut aurum et argentum aes ferum frustra natura divina genuisset, nisi eadem docuisset quem ad modum ad eorum venas perveniretur,
25 nec fruges terrae bacasve arborum cum utilitate ulla